Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

multo magis decet nichil umquam fingere, quos constat ipsi veritati fide et professione adherere debere. Quo circa cessa, obsecro, tanta garrulitate verborum, et que tandem aliquando velis nolis, non quod non credo cervicosus tui oblitus extiteris, perseque habebis, aptius dulcioribus utens verbis. Sulcis vitulinis anserinum imponendo ne differas vomerem. Te quippe solum ac specialem novimus germaniceis latitantem anfractibus, qui plures apud gallos cognovisti annos, et non hoc tantum, sed in illo solitario atque unice disciplinato obversatus es monachorum archisterio, quod ob sacratissimi monarche BENEDICTI glebe continentiam omnium pene monasteriorum obtinet monarchiam. Nam novimus non necesse esse te scribere qualiter beatissimus pater noster de hoc mundo migravit ad dominum, eo quod omnis pene christianitas non ignoret, neque translationem eius proderet. Sed tantummodo festivitatem illam quam illationem vocant, et quare illatio dicatur, que pridie nonas Decembris agitur, et multociens eidem festivitati interfuisti, quatenus ad tuam assertionem liquidius assignatam in posterum per annos singulos pro exiguitate nostra et nos omni religionis et laudis divine apparatu festivius inveniamur, ut pote voluntarii in lege domini. Quia dignum et equum omnino fore censeo, ut post primos et beatos apostolos sanctissimum patrem nostrum, cuius magisterio colla subiecimus, omni honore et gaudio venerentur prestanti. Undique me inquam in deo pater presentissima veritate tuis illationibus ita circumvallatum, ut nusquam in aliqua pateat excusationis municiuncula, nec inficiari valeo, quin uti tua paternitas asserit in hec notissima comprobentur. Et revera quia coram iudice tacere confiteri est, superponam ori meo digitum, nec amplius recalcitrare ut mussitando temptabo. Tuis mi pater orationibus confisus expiar, que iniungis ea iudicet ratione, ne implumem aviculam extra nidum tum evolare permittas.

Cum celestium sacramentorum limpidissimus speculator propheta David nullo revelationis accessu attingere se posse divinorum iudiciorum alta putavisset, ad se reversus dixit: Iudicia tua domine abyssus multa. Et vas electionis divinissimus Paulus propheticus concordat dicens: O altitudo diviciarum sapientie et scientie dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles vie eius. Hec ideo premissa sunt, quatinus plena ratione simplicioribus et minus eruditis facile respondeant, qui quasi quiritando mirum dicunt, quare deus omnipotens tocies permittat loca sanctorum suorum exuviis felicissimis consecrata non solum falsorum christianorum tyrannide, sed et paganorum rapidissima invasione temerari.

TEMPORE Karlomanni serenissimi imperatoris regis Francorum, quando per totum orbem divina largiente clementia pax ecclesie iocundius exuberavit, northmannica feritas subito atque inopinate frementibus beluis emergens, totam Austrasiam atque citeriorem indi. Galliam adeo suis copiis constipando compressit, ut tota Francorum bellipotens procacitas, quod mirum dictu est, in tantum stupore atque metu obrigesceret, ut etiam nullus contra hiscere illis presumeret. Nec mirum. Creditur enim quod mira dispensatione divinitatis actitatum sit, ut ipse ille prae omnibus eo tempore deo dedit tam clementi premium ultione multatus sit, quatenus et rerum dampna pateretur, et tamen absque congressione armorum celesti victoria potiretur. Est quippe Gallia pre omnibus terris super tritici copia fertilissima, insuper et artium liberalium subtilitate avidissima, et ut totum dicam monastice religionis integritate cautissima. Et quia secundum apostolum diligentibus deum omnia cooperantur in bonum, excepta Italia que romano cacumini est contigua, non invenitur in toto orbis habitabili area tot sanctorum milium capax terra. Qua propter gazophilacium dei videtur esse Gallia, et quasi celestis patriarchii clavicularia, que tam innumera membrorum Christi inclusa reservat pignora. Nam superbit apud Parisium, quod obtinet apostolicum virum preciosum Dyonisium. Non autem minus gloriatur apud Turonicam urbem, quod ibi fovet incomparabilem sacerdotem MARTINUM. Remis nobilitatur in Remigio Francorum apostolo. Aurelianis tripudiat cum Aniano mire sanctitatis episcopo. Lemovicas congaudet Marciali episcopo primo apostolorum principis discipulo. Apud Bellovacas colletatur martiri Quintino. Sed quia dies antequam sanctorum copia me deficiet, non tacebo quod potissimum apud Floriacum sacratissimo applaudit monachorum patri BENEDICTO. Tantis vero de ornatu Gallie per excessum commemorasse sufficiat. Hinc stilus hystoriacus ad cepta redeat.

Situm namque prefati loci Floriacensis monasterii, ubi beatissimus pater Benedictus in pace repausat et adventum redemptoris expectat, si quis curiosius scire desiderat, hoc in noticiam accipiat, instar quippe trigoni a commeantibus visum sisti, et ut expressius dicam, in modum delte littere, ipso statu cernitur sidereum cornu occupare. Nam a septentrione Franciam, ab oriente Burgundiam, ab australi vero axe Aequitaniam tangit, sicque in confinio trium regnorum veluti presens inter preteritum et futurum naturali ordine optinet primatum, et sicut perfectus numerus inter perfectum et plusquam perfectum ipsa medietate vicem

47